Quæstiones Theologicæ pro Doctoratu in eâdem facultate comitiis habita Cantabrigiensibus. Julii 1°. 1639.

Justificatio per solam fidem non est impeditiva bonorum operum.

ME miserum, Stygii qui læsus dente colubri,
Imbiberim totis lethalia toxica venis;
Qui legis toties transgressus septa severæ,
Tartarei pereo flammis addictus Averni!
Æterno quis me periturum liberet igne?
Quâ ratione datur Stygias evadere flammas?
Summus amor celsíque indebita gratia Patris;
Crux tua, Christe potens, & fusus in arbore sanguis;
Viva Fides, orâcla Dei vocémque sequuta,
Pollicitísque innixa tuis, ô muneris Autor,
Me peccatorem meritis, sub Judice Christo,
Eripiunt pœnis, & noxia vincula solvunt.
Ergò Fide solâ salvor, qui, Dæmone plenus,
Æternâ admisi tot digna piacula morte?
Quin igitur, juvenes, contemptâ Numinis irâ,
Criminibus placitis totas immittite habenas;
Si, cui sulphureæ debetur pœna Gehennæ,
Effugiet meritos alienâ morte dolores.
Hæc, ingrate, Dei tanto reddetur amori
Gratia? ficta fides, vel mortua, talia suadet.
Salvator, qui te moriturum morte redemit,
Mortuus est, ut tu peccato mortuus, idem
Justitiæ vivas; peccati ac labe remotâ,
Unitus Christo, & divino Flamine plenus,
Cœlestem vivas mortali corpore vitam.
Sola Fides fructus & Christo & Flamine dignos
Divino emittens, dat pignora certa salutis.

ERGO

Justitiæ sanctos quæ profert sedula fructus,
Salvat sola Fides: mortua vana perit.

Cultus religiosus creaturæ exhibitus, est idololatricus.

COeli Creator maximus, Mundi Pater
Nascentis; à quo quicquid est rerum uspiam
Accepit ortum; cujus extentâ manu
Cœlum, Solúmque, Cœlites, Homines, Feræ,
Pisces reguntur, atque Pennati greges;
Qui, quicquid ipse condidit, nutrit, fovet,
Sustentat; ipse colitur ut solus Deus:
Soli sacranda templa, fundendæ preces,
Reddenda vota; quicquid est cultûs sacri,
Debetur ipsi: Solus is rerum Artifex,
Solúsque summus machinæ Rector suæ,
Divinum honorem vendicat soli sibi.
Quædam creatæ jura naturæ dedit
Honoris; atqui terminos intra suos
Inclusit: Ultra limites quicquid sacros
Transit, supremi jura convellit Dei.
Debes honorem Regibus, Senibus, Patri,
Matri, Deíque Nunciis; sed quem dari,
Suum cuique debitum, jussit Deus.
Civilis illé jure debetur suo,
Datúrque jure: Solus at cùm sit Deus,
Solum invocari se, coli solum jubet.

ERGO

Divinum cultum rebus præstare creatis,
Est sacra supremi jura negare Dei.

Respond.
Dr Young Johanensis.

Oppon.
Dr Collins Regalis. Prof. Reg.
Dr Bainbrigge coll. Xti
Dr Cumber Trinit.
Dr Beale coll. Johis
Dr Backcroft. Coll. Gonv. Caij.
Dr Lany Aul: Pemb.
Dr Leye Coll. corp. Xti
Dr Martin Regin.
Dr Sterne Jes.
Dr Houlsworth Eman.

Moder. et Determin.
Dr Bromrigge. Aul: Cath: Procan.

Tempore antemeridiano concionatus est Dr Bray Coll: Xti